Excelsus super omnes gentes Dominus, * et super cœlos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, * et humilia respicit in cœlo et in terra ?

Suscitans à terrâ inopem, * et de stercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum principibus, * cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo * matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri, &c.

Ant. 

S It no-men Do-mi-ni be-ne-dic-tum



ex hoc nunc et us- que in sæ-cu-lum. 2.

Le prêtre.

℣. Me autem propter innocentiam suscepisti ;

℟. Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

℣. Domine, exaudi orationem meam ;

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum ;

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DEus, totius consolationis, qui parvulis post baptismi gratiam ex hoc sæculo migrantibus innocentiæ præmia largiris æterna ; concede propitius, ut quæ illis gaudia contulisti, eadem nos, quasi modò geniti infantes, consequi mereamur. Per Christum Dnum. nostrum. ℟. Amen.